UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Engelbertvs Episc. M. 7. Novembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

Visual Library

domo abhinc omnes omnino mulieres proſcripſit. Audite hæc aris devota pectora. Feminæ apud vos ſi exulaverint, ab exilio caſtitas redibit. *Ex D. Gregor.*

Ne ſub eodem cum mulieribus tecto manſites, nec in præterita caſtitate confidas, Nec ſanctior Davide, nec Samſone fortior, nec Salomone potes eſſe ſapientior; memento ſemper, quòd Paradiſi colonum de poſſeſſione ſuâ mulier ejecerit. S. Hieron. Epiſt. 2.

S. ENGELBERTUS EPISC. M.

7. Novembris.

CUnas, vitam, Mortem, omnia in ENGELBERTO præclara reperio, & digna infulâ Colonienſi, quam ille, uti & libertatem Eccleſiæ, etiam contra cognatum ſanguinem (audiant utinam hæc illi, qui Chriſti patrimonia ſua putant, & in ſuos effundunt!) toto pectore propugnavit, ipſique adeò vitæ ante habuit. Neque enim alia ulla fuit cauſa Friderico Iſenburgenſi Comiti, & patrono ENGELBERTI, cur ſub annum milleſimum, ducenteſimum & vigeſimum quintum, immiſſis ſicariis ex itinere nepotem obtruncaret, parricidio tot ſceleribus, quot vulneribus pleno, quæ quadraginta & ſeptem erant. Nec verò minus piè, quàm fortiter eſt mortuus ENGELBERTUS. Nam, ut taceam VIRGINEM ſolemni omnibus diebus Mercurii jejunio cultam, monitus per literas de inſidiis, animum quidem confeſſione purgavit & lacrymis expiavit, cæterùm ut ne hoſtem proderet, igni literas damnavit. Fridericum deinde, cùm jam parturiret ultimum ſcelus, hoſpitio non ſemel cum ſuis excepit, neque comitem habere viæ abhorruit, utque malus Genius ex

ore alieno palàm faſſus eſt, moriens Chriſto Chriſti verbis pro hoſtibus ſuis ſupplicavit, facultatem ob id nactus mira (quæ innumera ſunt) patrandi. Sub idem ferè tempus lunæ geminam alteram lunam cœnobita vidit gladio inſignem, ne dubitaret orbis, ſideribus novum ſidus ENGELBERTUM additum. *Ex Surio.*

Optimum vindictæ genus eſt, culpam ignoſcere, & humanitatis beneficia non negare; mala pati, & ſtillicidia gratiæ communicare. Hoc ſupernæ Deitatis opus eſt quæ quotidie innumerabiliter injuriis laceſſitur, & ſuſtinet; blaſphematur, & non iraſcitur. S. Laur. Iuſtin. de Caſto connub. c. 18.

S. GODEFRIDUS EP. 8. *Novembris.*

COepit GODEFRIDUS in tempore (quinquennis utpotè) ad ſanctitatem inter cœnobitas conniti, Muſis juxtà & pietate ſuccollantibus. Anno ætatis XXVI. Abbas, inde Pont. Ambianenſis, mirum eſt quàm benignum ſe miſeris exhibuerit, tredecim quotidie de his epulo ſolitus excipere, ablutis ſuâ manu eorum pedibus; nihil utique alienum à ſummâ dignitate exiſtimans, facere, quod prior Pont. Max. Chriſtus feciſſet. Et fortè benè magnum, & qui culinæ unicus ſuperabat, piſcem inde ipſe aſportaverat, donum leproſis ſtipem rogantibus. Ei rei cùm abſens tunc ſuccenſeret poſteà œconomus, illud modò reſpondit GODEFRIDUS: *Etiam atque etiam videret, illéne abūdaret, an pauper Chriſtus eſuriret, rectiùs?* Et verò ut hunc tegeret, non dubitavit ſuis laciniis ſummâ hieme ſe ſpoliare, & mendicabulum his ditare, ipſe contra frigora hâc unâ charitate ſatis armatus. Iam clementiæ in ſubditos illud ſit argumentum,